

orbis, puta omnes gentes, quas in fide et pietate christiana per meos prelatos et pastores sedulo excolo, ideoque pari modo ex illa *mille argenteos*, id est maximum fructum et pretium colligo, illumque Christo meo offero; « mille ergo tui pacifici, » hebraice, *mille tui*, o Salomon, id est hos *mille argenteos* tibi debitos, utpote ex tua gratia parios et productos; « et ducenti his qui custodiunt fructus ejus, » *q. d.* Prelatis, qui hanc vineam colerunt, debetur et dabitur duplex pramium, scilicet gloria anime et corporis, ob decem preceptorum Decalogi observationem in corde et opere tam in se quam in suis subditis, centies duplicatam, id est omni modo absolutam et perfectam: centum enim duplicata faciunt ducenta.

## VOX SPONSI.

VERS. 13. QUE HABITAS IN HORTIS, AMICI ASCULTANT: FAC ME AUDIRE VOCEM TUAM.—Bucollie Christus sponsus hic inducitur quasi pastor, cujus sponsa castitatis et meditationis studiosa, velut nympba ruralis habitat in hortis et vineis, easque excolit. Sensus est, quasi dicat: Christus: Audivi, o Ecclesia mea sponsa, tua in celum anhelandis suspiria, sed tecta et obscura, quare velim ut eadere emanatis: amici enim mei et tui, id est angel, avide ea audire desiderant; faciam ergo te votorum compotem: postula, et impetrabis: loquere, et exaudieris: suspira in celum, et eo te ducam, jam enim imminet finis mundi, et dies iudicii ac beate resurrectionis.

## SAPIENTIÆ COMMENTARIUS IN CANTICUM CANTICORUM.

## VOX SPONSE.

VERS. 14. FUGE, DILECTE MI, ET ASSIMILARE CAPRE, HINNULOQUE CERVORUM SUPER MONTES AROMATUM, — qui cap. II, vers. 17, vocantur *montes Bethel*, vel *Bethel*, id est *domus Dei*, puta cœli, *q. d.* Fuge, id est celerrime instar fugientium caprearum et hinnulorum ex terra hac putida et fetida, o Christe, te proripe in suaveolentes montes aromatum, id est in celum, ac me, quæso, tecum rape, ut tibi invicem fruamur in beata æternitate: sicut caprea et hinnuli, dum fugiant venatores, secum rapiunt suos catulos, nec sine iis fugam capessunt in montes aromatum, quales sunt in Judæa, Libano, Syria et Oriente. Unde « fuge sumi potest pro fugere me fac, per hebraismum, quo *Cal* ponitur pro *Hiphil*.

« Fuge, face, quiesce (S. Ansenius). Fuge ad montes aromatum, ad colles beate ÆTERNITATIS. Quam felix, que beati, ÆTERNITAS! » « Noctem unam (frigor) cum sempiterno ævo commutabimus, » S. Basilii, homil. De 40 Mart. « Erum angelos, tempus homines, Deum sua beat æternitas. » Doctor Angelicus, I Quæst. X: « O regnum vere beatum, carens morte, vacans fine, cui nulla tempora succedunt per ævum, ubi continuus sine nocte dies nescit habere tempus; ubi victor miles illis hymnidicis angelorum sociatus choris, cantat Deo sine cessatione Canticum de canticis Sion, nobile perpetuo caput amplectente corona! » ait S. Augustinus in *Meditationibus* cap. XXXI.

## COMMENTARIUS

IN

## LIBRUM SAPIENTIÆ.

## ARGUMENTUM.

Tria hic de more præmittenda sunt: *primum*, de auctoritate libri; *secundum*, de auctore; *tertium*, de argumento.

QUERITUR ergo primo, an Sapientia sit liber canonicus S. Scripture? Negant Judæi et hæretici, imo nonnulli catholici, ut Lyranus et Cajetanus: Judæi, quia in hoc lib. cap. II, vers. 20, prædicitur mors Christi, illi in cruce intelligenda ab impiis Judæis: hæretici, quia, dum liber hic commendat castitatem, opera bona, martyria, merita et premia, contrariis eorum heresibus adversatur; unde eum rejicit Kemnitius in *Examina Concilii Tridentini*, sess. IV; imo Calvinus, lib. I *Institut.* cap. XI, § 8, scribit se in libro Sapientie invenisse mendaciam, scilicet de inventore idolatrie, qui cap. XIV, vers. 15, dicitur fuisse pater lugens filium sibi morte ereptum; qua Calvinus Scriptura indigna est Bibliis, dignaque favillis: sed de hoc fusius agendum cap. XIV. Verum respondeo et dico: De fide est liberum Sapientie esse Canonicam Scripturam: patet, quia ita definit Concilium Florentinum in *Unionem Armen.*, et Tridentinum, sess. IV; Carthageniensis III, cap. XLVI; Toletanum XI in *Profess. fidei*, Sardinense apud Theodoretum, lib. II *Histor.* cap. VIII, Triburiense, cap. XXXIV, Pistense, cap. I, Nicenum II, act. 4.

Hinc Christus et apostoli ex libro Sapientie testimonia, æque ac ex aliis libris canonicis mutuati sunt; nam ex *Sapient.* cap. III, vers. 7: « Fulgebunt justi, » citat Christus illud *Matth.* cap. XIII, vers. 43: « Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum. » Rursus Mattheus, cap. XXVII, vers. 43, refert id quod habetur *Sapient.* II, 13: « Filium Dei se nominat; » et vers. 48: « Si enim est verus Filius Dei, suscipiet illum, et liberabit de manibus contrariorum. » Paulus quoque ad Romanos, cap. XI, vers. 34, profert illud, *Sapient.* IX, 13: « Quis enim hominum poterit scire consilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus? » Et ad Ephesios, cap. VI, vers. 13 et 17, deponit id quod habetur *Sapient.*

cap. V, vers. 18 et 19: « Accipiet armaturam zelus illius, et induet pro thorace justitiam, et accipiet pro galea iudicium certum, sursum contra impugnabile æquitatem. » Idem, *Hebr.* I, 7 et 11 et alibi, alludit ad dicta Sapientie, cap. IV, VI, VII et IX.

Idem faciunt Patres græci et latini, qui Sapientiam citant, ut divinam Scripturam, imo ut librum Salomonis. Loca eorum citabo *Quæst. II*; nunc sufficiat unus S. Augustini sententia, qui lib. II *De Prædest. Sanctorum*, cap. XIV, et lib. II *De Symbolo*, ita scribit: « Non debuit repudiari sententia libri Sapientie, qui meruit in Ecclesia Christi de gradu lectorum Ecclesie Christi tam longa annositate recitari, et ab omnibus christianis episcopis usque ad extremos laicos fideles, penitentes, catechumenos, cum veneratione divine auctoritatis audiri. » Quare vana est Cajetani exceptio, dicentis librum Sapientie a Patribus vocari *canonicum*, id est regularem, quia valet ad edificationem fidelium, at non ad stabilendam fidei dogmata: ad utrumque enim valet divina Scriptura, qualem aiunt esse Patres librum Sapientie. Vide Melchiorum Canonum, lib. II *De Locis*, cap. XI.

Porro S. Athanasius in *Synopsi*, S. Epiphanius lib. *De Pondoribus et mensuris*, S. Hieronymus in *Prolog. galatæ*, et epist. 115, et in *Zachar.* cap. VII et XI et Damascenus, lib. IV *De Fide*, cap. XVIII, asserunt Sapientiam non esse in canone Hebræorum, et suo tempore necdum ab Ecclesia receptam ut librum canonicum, legendum tamen in Ecclesia ad edificationem plebis. Quare liber hic non est *protocanonicus*, id est primæ classis S. Scripture, quales sunt ii de quorum fide nunquam est dubitatum; sed *deuterocanonicus*, id est secundæ classis, quales sunt ii de quorum fide dubitatum fuit aliquando, ac postmodum tota Ecclesia, re examinata, eos in canonem admisit. Audi S. Augustinum, lib. II *De Doctr. Christ.* cap. VIII: « Illi duo libri, unus, qui *Sapientia*, et alius, qui *Ecclesiasticus* inscribitur, quoniam in auctoritatem recipi meruerunt, inter prophetas

numerandi sunt. » Et lib. De Prædest. Sanctorum, cap. xiv : « Sed qui sententias tractorum, ait, instrui voluit, oportet ut istum librum Sapientie, ubi legitur : *Scriptus est, ne malitia immutaret cor ejus*, omnibus tractoribus anteponan; qui alius anteposuerunt, etiam temporibus Judæis apostolorum egregii tractatores, qui eum testam adhibentes, nihil se adhibere, nisi divinum testimonium crederent. » Addit S. Isidorus, lib. I Offic. cap. xii, quem sequitur noster Lorinus, olim librum hunc hebraice existisse, fuisseque in canone Hebræorum, sed a posterioribus Judæis christicidibus abraham ex eo, et abolitum, legique vetitum, eo quod nimis aperta de Christo, ac Judæorum contra Christum insidiis et machinationibus oracula contineret. Vide Bellarminum, lib. I De Verbo Dei, cap. xii; Sixtum Senensem lib. VIII Biblioth. hæresis 9; Judæorum Coccium in *Thesoro Catholico*, in *Sapientia*; et Gonsalvum Cervantes *Præm. in Sapientiam*. Denique Joannes Pius Mirandolus, *Profatione in Heptapl.*, asserit ab Hebræis legi librum Sapientie, a Salomone rege ex medulla mosaice legis hebraice conscriptum, sed altarum et diversum ab hoc nostro, cuius quoque meminit Theophilus Antiochensis, lib. III ad Antioyem.

QUÆRITUR secundo, quis sit auctor libri Sapientie? PRIMA sententia est multorum, qui censent auctorem esse Salomonem, imo nonnulli putant id esse quasi de fide : ita noster Christophorus a Castro hinc, et Sixtus Cæcensis, lib. VIII Biblioth. hæresis 9, Regerius, lib. I De Libris Canon. cap. xxiv, ac fusc Gonsalvus Cervantes, Quæst. I, *Prolog. in Sapientiam*, qui censet Sapientiam hebraice existisse tempore Septuaginta interpretum, et ab eis in græcum, æque ac cæteros S. Scripturæ libros esse tractatam. Probat *primo*, quia hic liber Grecis Bibliis inscribitur : *Sapientia Salomonis*. *Secundo*, quia multi Patres eum tribuant Salomoni, vocantque Sapientiam Salomonis, sicut etiam Hieronymus, *in Prologo in libros Salomonis*, sicut vice versa Ecclesiasticus, utpole ex hebræo in græcum traductus, magis hebræam, quam græcam phrasin et simplicitatem redolet. Confer hunc librum cum Proverbiis, et videbis quanta sit styli phrasique distantia, ac præsertim hic esse elegantius discursus continuos et connexos, cum in Proverbiis sint sententiæ disparatæ, quæ nullum inter se habent ordinem, vel nexum, ut plane ab auctoribus diversis videantur conscripti hi duo libri. Adde Salomonem hujus libri non esse auctorem, inde certo colligi quod auctor, cap. xv, vers. 14, dicat hostes populi Dei, puta Egyptios, imperare illi. Tempore autem Salomonis nemo imperabat Israël, nisi Salomon, qui et gentibus vicinis vel dominabatur, vel amicitie fœdere devinctus erat. Scriptus est ergo hic liber sub tempore Ptolemæi Lagi : hic enim Judæam oppressit. *Tertio*, quia veteres tres tantum numerant Salomonis libros, scilicet Proverbia, Ecclesiasten et Cantica : ita Amphiloctius Iconii episcopus in *Carm. de legendis S. Scripturæ libris*, Isidorus Pelusianus, lib. IV, epist. 40, S. Hieronymus, epist. ad Paulinum, que præfigitur Bibliis, et alii. *Quarto*, quia ita censent plurimi et gravissimi auctores, ut Lyranus, Hugo, Dionysius, Abulensis, Jansenius, Driedo, Melchior Canus, Michael Medina, Alphonsus a Castro, Alphonsus Curiel, Paulus a Palatio, Lorinus, Pamellus, Georgius Ederus, Didaeus, Covarruvias, lib. IV *Variar. resol.* cap. xvi, Adrianus Finus, Genebrardus et alii, quos citat et sequitur noster Pineda, *Pref. in Ecclesiasten*, cap. n, num. 20. Imo S. Augustinus asserit hunc constantem et communem esse fidelium sensum : ejus verba modo recitabo. Denique auctor hujus libri alludit subinde ad fabulas poetarum, qui omnes Salomone longe fuere posteriores : sic cap. i, vers. 14, di-

cens : « Nec inferorum regnum in terra, » alludit ad fabulam Platonis et Dilis, qui fingitur a poetis rex inferorum, atque ab inferis ditionis suæ jura in terram extendisse. Rursum alludit ad ritus gentium, ut cum ait, cap. ii, vers. 8, ex sententia epicureorum : « Coronemus nos rosis : » nam coronas rosaceas apud hebræos non fuisse tempore Salomonis, imo nec tempore Isaie et captivitatis Babylonicæ, censet Tertullianus, lib. De Corona militis, cap. ix; videntur ergo illa posteriori tempore ex commercio cum gentilibus ad hebræos permanasse. Sic cap. xvii, vers. 13, in græco nominat Orem, et alludit ad Lothen, qui a poetis inducitur velut fluvius inferni mortuis eo venientibus inducens rerum omnium oblivionem, asseritque ex Oreo promanasse tenebras Egypti; et cap. ult. vers. ult., *nam in Græco vocat ambrosiam*, que a poetis fingitur esse cibus Jovis et deorum. Hanc sententiam clare indicat versio Syriaca, dum hunc titulum libro præfigit : *Liber magna sapientia ipsiusmet Salomonis filii David, de quo facta est dubitatio, quasi aliquis sapiens ex Hebræis scripsisset illum spiritu propheta, cum nomine Salomonis posuisset, sive condidisset illum : et receptus est, puta hebraicis canonicis*. Arabice sic habet : *Liber Sapientie Salomonis filii David, qui regnavit in filiis Israël*.

Ad primam respondet S. Hieronymus, in *Prologo*, illam inscriptionem in Græcis codicibus esse falsam : « Alius, inquit, *ὑπετίθηκε*, hoc est falso inscriptus, qui *Sapientia Salomonis* inscribitur; » et mox : « Apud Hebræos nusquam extat, et ipse stylius græcam eloquentiam redolet, et nonnulli scriptorum veterum hunc esse judæi Philonis affirmant. »

Ad secundam respondetur Patres hunc librum citare nomine Salomonis iisdem de causis, quibus Ecclesiasticum tribuunt Salomoni, quas recitavi *Prologo in Eccles.* ac præsertim, quod auctor hujus libri eum scripsit nomine Salomonis, ejusque personam induat, ac illum loquentem et docentem inducat. Sicut Plato suos Dialogos inscribit nomine Socratis, Gorgiæ, Protogoræ, Timæi, etc., quia eos loquentes inducit; et Xenophanem suum opus inscribit Cyrum, sive Cyripædium; et Cicero librum *De Claris oratoribus* inscribit Brutum, qui inter oratores excelluit. Sic ergo hic liber adscribitur Salomoni, quia Salomon hic loquens inducitur, qui omnium sententiæ fuit mortalium scientissimus, et, ut ille ait, antistes sapientie, Mærve corulium, prudentie oculus, Themidis cæ, medulla consilii, Scripturæ anima. Id disertè docet Eusebius, lib. XI *Præp.* cap. v : « Hæc ratio commotus, inquit, qui librum Sapientie personæ suæ (ejus, scilicet Salomonis) inscripsit : ipse mihi dedit horum quæ sunt scientiam, ait, veram, » etc., pergitque citare verba que habentur *Sapient.* vii, 17. Sic et Origenes in *Joan.* tom. XX : « Sapientia liber, inquit, Salomoni inscriptus. » Ergo hic liber, scriptus est,

non a Salomone, sed ab alio in persona Salomonis; unde et S. Thomas in I II, Quæst. CXIII, art. 3, ad 2, ait in hoc libro sermonem esse ex persona Salomonis. Idem expresse docet Alfonsus Curiel, *Controv.* 2 in lib. *Sapientia*. Quin et S. Augustinus, lib. II De *Doctrina Christ.*, cap. viii, sic ait : « Illi duo libri, primus qui *Sapientia*, et alius qui *Ecclesiasticus* inscribitur, de quadam similitudine Salomonis esse dicuntur; nam Jesus filius Sirach eos scripsisse constantissime perhibetur; » et lib. XVII De *Civit.* cap. xx, de eisdem libris, inquit : « Alii vero duo, quorum unus *Sapientia*, alter *Ecclesiasticus* dicitur, propter eloqui non nullam similitudinem, ut Salomonis dicantur obfinit consuetudo; non autem esse ipsius, non dubitant doctores. » Accedit quod auctor Sapientie imitatus sit Salomonem, ejusque sensa, forte etiam sententiæ et verba in libris hebraicis illius ævi sparsim repertas collegerit, ordinarit, græcæque phrasi et stylo expresserit, ut patet conferenti cap. vii et ix Sapientie cum his que de Salomone dicuntur II *Reg.* iii, I *Paral.* xxviii, 2, *Prov.* viii, etc. Sgloom enim locutus est tria millia parabolarum, et carminum quinque millia, ut patet II *Reg.* i, 32, que omnia nec Proverbiis, nec Ecclesiastico, nec Cantico contineri queunt; pars ergo eorum Sapientia contineri potest. Ita censet Bellarminus, lib. I De *Verbo Dei*, cap. xii, Possevinus, in *Apparatu sacro*, verbo *Salomon*, Adrianus Finus, lib. VI *Flagelli Judæorum*, cap. xvi, et alii. Ad Eusebium respondeo, ejus verba perperam traducta esse a Rufino : græce enim sic habent : *Ὁς ῥήματα καὶ ὄψεις ἀλλὰ καὶ ἑρμηνείας, καὶ πᾶς ἰσὺν ἀρχαίων γράφει, παρὰ τὸν ἑαυτοῦ τὰς Σαλωμώνος παροιμίας ἑκάλεσε*, que ad verbum latine sic sonant : *Non solus autem ipse, sed et Irenæus, et omnis veterum chorus, omni virtute referentem Sapientiam Salomonis Proverbia nunciaverunt; itaque Eusebius non loquitur de libro Sapientie, sed de Proverbiis Salomonis, eaque dicit a multis vocari Sapientiam κωμικόν, id est de omni virtute tractantem; unde et Ecclesiæ in Officio divino recitans Proverbia Salomonis, v. g. « Dominus possidebit me, » ex cap. viii, « mulierem fortem, » ex cap. xxxi, premittit : Lectio libri Sapientie. »*

Ad tertium jam dixi librum scriptum esse ab alio quidem, sed in persona Salomonis, ac ex multis Salomonis sententiis, quales sunt illa in argumento propositæ.

SECUNDA sententia est S. Augustini, lib. II De *Doctrina Christ.* cap. viii, et lib. XVII De *Civit.* cap. xx, ubi scribit constantem esse opinionem, auctorem libri Sapientie, æque ac Ecclesiastici, esse Jesum filium Sirach, ut patet ex verbis ejus jam recensitis; unde uterque liber amulius vocatur *Sapientia* : idem opinatur S. Isidorus et Theodoretus apud Lipomanum, in *æzod.* cap. xvi. Verum hanc sententiam retractat ipse S. Augustinus, lib. II *Retract.* cap. iv : « De auctore libri, ait, quem plures vocant Sapientiam Salomonis,

quod etiam ipsum, sicut Ecclesiasticum, Jesus filius Sirach scripserit, nec ita constare sicut a me dictum est, postea didici, et omnino probabilibus comperi non esse ejus libri auctorem.

Tertia sententia est auctorem hujus libri esse Philonem hebræum, qui paulo post Christum vixit sub Caio Caligula imperatore, ad eumque legationem obiit pro Judæis; sed ab eo repulsus conversus ad socios dixit: «Dono simus animo, nam Deus nobis propitius erit, cum infensus est Caius,» uti refert Josephus, lib. XVIII *Antiq.* cap. x. hic enim Philo fuit vir doctus et disertus, ac plurimos in Scripturam edidit libros, totusque moralis est et pius, qualis est et auctor Sapientiae; unde S. Hieronymus in *Prologo* ait: «Nonnulli scriptorum veterum hunc esse judæi Philonis affirmant.» ita censent Lyranus, Dionysius, Galatinus lib. I *De Arcan. fidei*, cap. iv, Ludovicus Vives in cap. xx lib. XVII S. Augustini, *De Civit.* Adduntque nonnulli Philonem scripsisse hunc librum ad consolationem Judæorum, quos affligebat Caius imperator; unde proponit eis exemplum liberationis Hebræorum a tyrannide Pharaonis, quem Deus tot plagis attrivit; ac justis regimem describit, injusti vero et tyranni culpam, eique Dei vindictam comminatur. Verum hæc sententia plane est improbabilis, primo, quia hic Philo post Christum mansit judæus, in est infidelis, et in judaismo pertinax, ideoque a Christo alienus, et christianæ fidei adversarius. Quis credit infidelem scripsisse librum tam nobilem, in quo fidei principia traduntur, ac præsertim de Christo patiente et mortuo, ut patet cap. ii, vers. 20. *Secundo*, quia Sapientia ab omnibus orthodoxis totaque Ecclesia numeratur inter libros Veteris Testamenti, qui ante Christum scripti sunt; prophetat enim de Christo, cap. ii; ergo scribi non potuit a Philone, qui vixit post Christum. Adde stylum Philonis a stylo Sapientiae longe distare. *Tertio*, quia Philo hic valde addictus fuit Platoni; unde illud: «Aut Philo platonizavit, aut Plato philonizavit.» Hinc ex Platone suos hausit errores, ut cum lib. *De Officio seu divinum* censet stellas esse animalia intelligentia; ac celum a Deo esse factum, ut deorum tam invisibilium (angelorum), quam visibilium (stellarum) sit domicilium: astruit sæpe planetarias divinationes ex thaludicis et genethliacorum deliramentis: dubitat an mundus magis sit ad imaginem Dei factus, quam homo, et an paradisius terrestris revera existit: libro *De Congressu querendum eruditionis gratia*, instigare videtur infernum non aliud esse, quam flagitiosus hominis conscientiam ejusque remorsum: lib. *De Profugis*, asserit animam rationalem duntaxat Adæ creatam a Deo, sensitivam autem una cum angelis. Plures Philonis errores recenset Sixtus Senensis, lib. V *Biblioth.* cap. xvii et xxii; nonnulli autem refellit auctor libri Sapientiae. *Quarto*,

quia liber hic citatur a S. Clemente Pontifice, *epist.* 1, et a S. Dionysio Areopagita, cap. iv *Divin. nom.*, ut sacer, divinus et presens: S. Dionysius autem, æque ac S. Clemens, coævus Philoni fuit, imo liber Sapientiae citatur a Christo et apostolis, qui Philonem antecessere, ut ostendi *Quæst.* I. *Quinto*, quia S. Hieronymus, lib. *De Viris illustribus*, et Eusebius, lib. II *Hist.* cap. xvii, textentes catalogum librorum Philonis, nullam faciunt mentionem libri Sapientiae.

Præter rationibus convicti nonnulli censent hunc librum scriptum a Philone, non illo, qui vixit post Christum sub Caio, sed seniore, qui vixit 160 annis ante Christum sub Onia prisco pontifice. Ita Alfonso Curiel, *controv.* 2; Michael Medina, lib. VI *De recta in Deum fide*, cap. xii; Driedo, lib. I *De Eccles. dogm.* cap. iv, ad 5 diffin.; Canus, lib. II *De Locis*, cap. xi, ad 5; Pamelus in notis ad S. Cypriani, librum *De Mortal.* num. 43, Genebrardus in *Chronologico*, anno mundi 3860, Verum Philonis hujus senioris nulla est mentio apud Josephum, Eusebium, aliosque antiquos scriptores: hi enim tantum meminerunt Philonis hebræi, qui vixit sub Caio, et Philonis tybrii, id est oriundi ex Byblio civitate Phœnicie, qui non fuit hebræus, sed gentilis, ideoque ineptus ad scribendum libros canonicos. Id disertè docet Eusebius, lib. I *Præpar. Evang.* cap. vi: «Philo, ait, non hebræus, sed byblius, Phœnicum historicorum eorum lingua scriptam in græcam linguam traduxit.» Eundem, non alium, citat Josephus, lib. I *Contra Apionem*, cujus verba transcripsit Eusebius, lib. IX *Præpar.* in fine, ubi ait Demetrium phalæreum, Philonem seniore (bybliam) et Epipoleum, gentiles, scripsisse historias Chaldæorum, Syrorum et Phœnicum, ac obiter subinde tangere res judaicas, sed in hisce, utpote sibi peregrinis, quandoque hallucinari: «Quibus, inquit, venia danda est, quoniam magnam nostram litterarum peritiam non habuere,» quod de Philone hebræo dici nequit. Adde: Auctores citati censent Philonem hunc fuisse unum ex 72 interpretibus; hoc autem dici nequit, nam Aristæas in *Historia 72 interpretum*, singulorum nomina assignans, nullum inter eos Philonem nominat. Causa erroris, cur scilicet nonnulli Sapientiam tribuant Philoni, est quod nonnulli a Deo, II *Reg.* xii, 25, nuncupatus sit hebræice יהוידן *Iehudim*, id est *amabilis Domino*, qui græce dicitur *γιδων*: quæ enim est *amabilis amor, vobis autem* unde et Philo judæus a Rabbis (et nominatum a R. Azario) hebræice vocatur *Iehudim*: Hebræi enim prisci Sapientiae auctorem fecere Salomonem, ut patet ex R. Mose Bar-Nachmani, qui contracte *Rambam* vocatur, et ante 300 annos floruit. Hic enim in *Proemio Pentateuchi*, ex magna sapientia Salomonis velut S. Scriptura, citat illud, *Sapient.* vii, 7: «Optavi, et datus est mihi sensus,» ac cetera quæ sequuntur recitat accurate et prolixè. Recitat autem lingua hierosolymitana,

puta syriacæ, quæ usi sunt Judæi post reditum ex Babilone; unde colligas libri hujus auctorem ita esse Salomonem, ut tamen a quopiam posteriore post exidum Jerusalem per Chaldæos, scriptus sit stylo proprio et patrio, ideoque non puro hebræo, uti sua scripsit Salomon, sed corrupto sive hierosolymitano, hoc est syriacæ. Aut potius liber hic primitus ab auctore græce scriptus, deinde a quopiam hebræo in linguam hierosolymitanam translatus est, æque ac liber tertius Machabæorum; sic enim et Josephus et Philo sua græce scripserunt, quia græce periti Græcis et Latinis scribebant. Stylus enim Sapientiae plane græcam phrasim redolet, non hebræam. Recentiores ergo Latini nonnulli hunc librum tribuunt Philoni judæo, eo quod Hebræi tribuunt non Philoni, ignorantes ipsos per *Philonem* intelligere Salomonem, eo causam jam dictam, non Philonem judæum.

Dico ergo: Certum est de fide auctorem primarium libri Sapientiae esse Spiritum Sanctum; incertum vero est quis fuerit secundarius, scilicet hebræus scriba et rabbinus, qui dictante Spiritu Sancto eum conscripserit. Id satis insinuat S. Dionysius Areopagita, cap. iv *Divin. nom.*, ubi citans locum ex cap. viii Sapientiae: «In primis, inquit, Scripturæ sanctæ institutionibus invenies quemdam hæc dicentem de divina sapientia: Amator factus sum pulchritudinis ejus,» ubi *72 quendam* significat auctorem incertum. Eodem modo Sapientiae auctorem citat Anastasius, Nicenus, *Quæst.* XXXV in *sacram Scripturam*: «Quidam, inquit, sapiens;» et S. Gregorius, lib. XXVII *Moral.* cap. xviii: «Bene, inquit, per quemdam sapientem dicitur,» *Sap.* xvii, 10: «Cum sit timida nequitia,» et lib. XXVII *Moral.* cap. xvi: «Bene quidam sapiens, *Sapient.* vii, 15: *Mihi autem Deus dedit dicere ex sententia.*» Simili modo eum citat S. Chrysostomus, hom. 4 et 47 in *Gen.*, et hom. 40 et 42 in *Matth.*, et S. Cyrillus Alexandrinus, dial. *De Trinitate*, et S. Hieronymus in *Prologo in libros Salomonis*: «Apud Hebræos, inquit, nusquam est, quin et ipse stylus græcam eloquentiam redolet.» Et Eusebius, lib. XI *Præpar.* cap. v: «Hæc ratione commotus, ait, qui librum Sapientiae suæ personæ inscripsit,» scilicet incognitus. Genebrardus quoque ait auctorem Sapientiae esse anonymum et incertum. Sic et ceteri, quos citat et sequitur Pineda, *Præfat.* in *Eccles.* cap. ii.

Porro, quia hic liber videtur scriptus græco stylo ab hebræo quopiam, teste S. Hieronymo, conjicere licet eundem scriptum esse paulo post regnum Alexandri Magni, qui Salomone sexcentis et amplius annis fuit posterior: Alexander enim cum impero linguam græcam inivit in Judæam, ita ut nobiliores Judæi tunc græce discere coepissent. Hinc paulo post Alexandrum, Ptolemæus Philadelphus, secundus *Egypti rex*, et Judæa evocavit 72 interpretes, qui Biblia hebræa in græcum

idioma traducerent: quare tunc Hebræi didicerunt linguam græcam, ac græce scribere libros; unde et Jesus Sirach æquos librum Ecclesiastici ab evis hebræice scriptum tradidit in linguam græcam, ut ipse fatetur in *Prologo Ecclesiastici*, illud enim seculum fuit litterarum: quare tunc apud Judæos floruit sapientia et eloquentia græcica. Igitur textus græcus hic videtur originarius S. Scripturæ textus: nam stylus et facundia græcam magis eloquentiam, quam hebræam simplicitatem redolet, ut recte advertit S. Hieronymus, et colligitur ex cap. xv, 14. Videtur ergo quod sub tempora Ptolemæi Philadelphii scriptus fuerit liber Sapientiae græce, ab aliquo e 72 interpretibus, vel simili rabbinio, forte in gratiam Ptolemæi Philadelphii; unde toto hoc libro regem instruit, quomodo sapienter et juste debeat administrare rempublicam: hæc enim de re ipse Ptolemæus 72 interpretibus totidem quæstiones, puta singulis singulas, proposuit, ut ab his disceret modum bene regendi, quos recenset Aristæas in *Historia 72 interpretum*. Hinc chronologia et ratio temporis faciem præferet huic libro, eumque mirifice illustrabit, ut patebit quæstione sequenti.

Queritur ergo tertio, quod sit argumentum hujus libri? Respondetur: Liber hic argumentum prodivi nominæ suo; vocatur enim *Sapientia*, quia tractat de vera sapientia, ejusque origine, moribus, operibus, effectibus et præmiis: porro sapientia hic non tam speculativa, quam practica accipitur, quæ scilicet est ratio agendorum secundum Deum, ac proinde non aliud est quam vera veri Dei cognitio conjuncta cum ejus timore, religione et cultu, qui hominem ad salutem et æternam felicitatem perducit. Hinc Isidorus, lib. III *Etym.*: Sapientia, ait, est *sapida scientia*; unde Noster sapientiam hanc vertit, *εισέταξις*, id est *pietatem*, cap. x, 12; ac sapientiam subinde nominat *justitiam*, quæ generalis est virtus, omnesque virtutes complectitur, illucque, cap. vii, vers. ultimo, opponit *malitiam*, id est vitium et peccatum. Id ita esse clare significat Sapiens, cap. vi, vers. 18: «Initium, inquit, illius verissima est disciplina: concupiscentia: cura ergo disciplinæ, dilectio est et dilectio, custodia legum illius est: custoditio autem legum, consummatio incorruptionis est: incorruptio autem facit esse proximum Deo. Concupiscentia itaque sapientie dedit ad regnum perpetuum;» unde et Moses, *Deut.* iv, 3: «Scitis, ait, quod docuerim vos præcepta atque justitias, sicut mandavi mihi Dominus Deus meus, sic faciatis ea in terra quam possessuri estis; et observabitis et implebitis opere. Hæc est enim vestra sapientia, et intellectus coram populis, ut audientes universa præcepta hæc dicant: In populus sapiens et intelligens, gens magna;» et Job cap. xxviii, vers. 28: «Ecce timor Domini, inquit, ipsa est sapientia,» unde Lactantius, lib. III *De Vera sapientia*, cap. xi, et

lib. IV, cap. m, dixit sapientiam et religionem segregari non posse, quod *copere* nihil aliud sit quam Deum verum iustis ac piis cultibus honorare. Vide dicta *Eclii*, 1, 4, et *Prov.* 1, 1.

Apud philosophos et theologos scholasticos sapientia aliter varietate accipitur, ut pro rerum omnigena cognitione; pro ea qua in quovis genere artis est; pro metaphysica, pro theologia, pro fide qua in actionem etiam prodeat; adde, pro uno donorum Spiritus Sancti, et increata Sapientia, Verboque divino. Quas acceptiones fusc hic prosequitur noster Christophorus a Castro; sed illæ huc non pertinent, nisi quatenus sapientie jam explicatæ sunt asseclæ, effectus et præmia, ut patuit in Salomone, qui proinde de se ita scribit, cap. VII, 17: « Ipse enim dedit mihi horum, quæ sunt, scientiam veram: ut sciam dispositionem orbis terrarum, et virtutes elementorum, initium, et consummationem, et mediocritatem temporum, vicissitudinem permutationes, et commutationes temporum, anni cursus, et stellarum dispositiones, naturas animalium, et iras bestiarum, vim ventorum, et cogitationes hominum, differentias virgultorum, et virtutes radicum, et quæcumque sunt absconsa et improvisa, didici: omnium enim artifex docuit me sapientia. »

Auctorem nostræ Sapientie imitati sunt philosophi; hinc Plato philosophiam nempe definit solutionem animi a corpore, seu mortis commentationem; interdum conversionem animi ad ea quæ vera sunt et divina. Stoici vero auctore Plutarcho, lib. I *De Placitis philosophorum*, cap. 1, definirunt philosophiam accommodatæ ad vitam artis meditationem, atque hanc esse unam eandemque summam virtutem, quæ per Dei imitationem, ut ex Platone adducit Eusebius, lib. XII *De Prep.* cap. xx, quantum homini possibile est, transitum facit et fugam terrenorum; imitatur autem Deum iustitia, sanctitate, prudentia. Est autem iustitia, ut docet Clemens, *Strom.* 1, 4, concentus partium anime; sanctitas vero Dei cultus. Porro stoicorum axioma, imo paradoxum fuit, solum sapientem esse regem, legislatorem, imperatorem, justum, sanctum, Deo amicum, solum divitem, liberum, honoratum, pulchrum: ita ex Platone in *Phædro* docet Clemens Alexandrinus, lib. I *Strom.*, quin et Cicero, orat. *pro Murena*; hinc et *Egypti* non nisi ex sapientibus creabant reges et iudices, teste Clemente, lib. V; ex magis Persæ, ex gymnosophis Indi: ita nocter a Castro.

Nola eandem sapientiam hic et in Proverbis, et aliis libris sapientialibus pertractari; sed hic subtilius, divinus et quasi ex radice. Unde etiam agit de sapientia increata, tum essentiali, quæ communis est toti SS. Trinitati, tum genita et notionalis, id est Verbo eterno, ac de ejusdem incarnatione et passione prophetat. Qua de causa *Sapientia* nomen huic libro est appropriatum: licet enim tres libri S. Scriptura vocantur Sapientia (nam Proverbia vocantur Sapientia Salomo-

nis, Ecclesiasticus vocatur Sapientia Sirach, hic liber vocatur Sapientia Philonis, vel potius annym); tamen hic liber præ cæteris nomen *Sapientie* absolute obtinuit, tum quia agit de sapientia in genere, ejusque natura, originis, interisque proprietatibus; tum quia in Proverbis et Ecclesiastico traduntur præcepta sapientie ethica, quæ quemvis privatam de moribus et virtutibus instruunt; unde hi duo libri vocantur *regia sapientie*, id est *sapientia omnino virtuosa*; hic vero liber Sapientie tradit præcepta politica, quibus reges et magistratum ad bene regendam rempublicam informat, ut patet cap. 1, vers. 4, cap. vi, vers. 1 et sequent.: summa enim sapientia, et « ars artium, est regimen animarum, » ait S. Gregorius in initio sui *Pastoralis*. Adde Sapientiam de cæteris quoque virtutibus cuique propriis tractare, ideoque et ipse *regia sapientie*, id est *omni virtute referta* a Damasceno, lib. IV *De fide*, cap. xviii, nuncupatur; imo liber hic magis est pius et pathecticus quam sit Ecclesiastes vel Proverbia: passim enim Dei timorem pioque erga Deum affectus spirat, legentique aspirat: tum quia prophetat de Filio Dei, cui sapientie nomen ex vi originis est proprium; unde nobile illud Constantinopolis templum Dei Filio dicatum, *Sophia* nomine fuit insignitum; et Christus specie adolescentis speciosus apparet B. Laurentio Justiniano adhuc adolescenti, rogatus quisnam esset, Dei sapientiam se esse respondit, uti habet ejus Vita. Hinc S. Athanasius in *Synopsi S. Scripturæ* bonam hujus libri partem applicat Christo; hinc et liber hic a Patribus inter prophetales refertur.

Quocirca idem dividi potest in tres partes, sive sectiones: prima, a cap. 1 usque ad cap. vii, eloquium sapientie continet, et parænesim, vel adhortationem, ad ejus amorem, studium et zelum; secunda, a cap. vii ad x, originem sapientie, quod scilicet a Deo sit orta; tertia, a cap. x ad finem, ejus effectus et commoda per patriarcharum Adæ, Noë, Abraham, Lot, Jacob, Joseph, Moïsis, Hebræorum exempla enarrat. Igitur hoc libro est continua et perpetua sapientia, id est iustitia et virtutis laus; ac insipientia, id est injustitia et vitii vituperatio, cum intentione gravissimorum vel suppliciorum, vel premiorum; unde nullus fere liber Veteris Testamenti clarior graviorque proponit iustorum æterna in oculis præmia, et impiorum æterna in gehenna tormenta, quam liber Sapientie.

Jam ut proximius et penitus argumentum et materiam hujus libri inspicimus, meminissem oportet, quod dixi questione præcedenti, librum hunc scriptum sub tempora Alexandri Magni et Ptolemæi Philadelphi: Alexander enim, pugnavit contra Darium ultimum regem, Persarum (uti paulo post eum vicit, ab eoque et Persis monarchiam ad se et Græcos transtulit), offensus fuit Judeis, eo quod ipsi Darii partes adjuverant: quare pergens Hierosolymam eis minabatur exci-

diu fuit, eo quod ipsi Darii partes adjuverant: quare pergens Hierosolymam eis minabatur excidium, sed occurrit ipsi Jaddus pontifex pontificabilibus amictus, jusque iras et animos ad benevolentiam inflexit: quocirca et ipse primus pontifex salutavit, et nomen Dei tetragrammaton, quod in fronte laminæ incisum gestabat, adoravit: eamque id omnes mirarentur, Parmenio Alexandrum rogavit, inquit Josephus, lib. XI *Antiq.* cap. viii, « quid ita cum ipse adoraretur ab omnibus, nunc adoraret Judearum pontificem. At ille non hunc se adorasse respondit, sed Deo, ejus pontifex esset, honorem cum exhibuisset: Hunc enim, inquit, vidi et antea hoc ipso habitu, eum adhuc essem in dio Macedonia, qui me de liberantem quomodo Asiam possem subigere, hortatus est forti esse animo et sine mora exercitum trajicere: nam suo ductu potiturum me Persarum imperio. Quapropter, quia nunc primum talem habitum vidi, agnosco hunc, et visionis memor, quæ me ad hanc expeditionem impulit, puto me non sine numine in Darium exercitum ducere, et brevi fore victorie compotem, et sub lato Persarum imperio cessura mihi omnia essentia. » Alexandro mortuo, quatuor duces primarii ejus divisere imperium. Antigonus occupavit Asiam, Antipater Macedoniam, Seleucus Syriam, Ptolemæus Lagi filius Ægyptum: quare media inter Syriam et Ægyptum Judea utriusque, et utriusque (puta Selenci et Ptolemæi) iustis fuit pomm discordiæ, imo præda, nunc Ptolemæus, nunc Antiochus eam sibi subjugantibus. Igitur Ptolemæus Lagi filius Hierosolymam dolo invadens cepit, ac ex Judea in Ægyptum adduxit centum viginti captivorum millia: quare Judeos graviter afflixit, adeo ut nonnulli Judearum in Ægypto a judaismo ad gentilismum, atque idola Ægyptiorum deficerent. Ptolemæo Lagi in regno Ægypti successit filius Ptolemæus Philadelphus; hic, patris vestigiis insistens, initio pressit Judeos, ac postmodum per 72 interpretes eis reconciliatus, valde benevolus et beneficus extitit; quæ omnia fusc narrat Josephus, lib. XII *Antiq.* cap. 1 et 2. Igitur auctor hujus libri videns Judearum afflictiones, quas patiebantur a Ptolemæis, scripsit hunc librum ad consolationem et confirmationem Judæorum, ne a Deo relictæ fide ad idola Ægyptiorum deficerent. Quocirca fusc toto cap. xii, xiii et xiv, unus Dei cultum stabilis, ac idolorum inaneitatem demonstrat, uti antea in simili tribulatione fecerat Jeremias, scribens epistolam ad Judeos ituros in babilonicam captivitatem, quæ eis in Babilone vanitatem ostendit, hortaturque ne in Babilone idola mirentur et colant: exstat hæc epistola *Baruch*, cap. vi. Itaque de causa Sapiens hic, cap. iii et v, hortatur Judeos et quoslibet fideles ad constantiam et martyrium pro fide unius Dei, si opus sit, obeundum, eo quod eos maneat in oculis corona gloriæ sempiternæ, uti paulo post Antiocho Epiphane ad idem hor-

tati sunt se invicem cæterosque Judeos, Mathathias et Machabæi, II *Machab.* vii, etc.

Rursus, occasione persecutionis Ptolemæorum regum, reges instituit, quomodo sapienter, id est recte pieque, ex metu cultuque veri Dei subditos regere debeant, ac injustis et tyrannicis minatur Dei, qui Rex est regum, horrenda supplicia, atque hæc de causa, cap. xvi et sequent. usque ad finem, per quatuor integra capita Pharaonis Hebræos persequentis historiam, plagas et exitium, Judearum vero liberationem, victoriam et miracula fusc commemorat hoc fine, primo, ut Ptolemæi, qui Pharaoni in regno Ægypti successerant, illum sibi in exemplum et speculum stant, scientique se pari modo a Deo castigandos, si Dei populum, puta Hebræos vexent et persequantur. Ex adverso Ptolemæis cæterisque regibus imitandum proponit Salomonem regem sapientissimum, diuissimum, prestantissimum, qui filium Pharaonis regis Ægypti duxit in uxorem, ac proinde cum Ægyptiis affinitate fuit conjunctus. Hinc cap. vii, viii et ix, Salomonis sapientie studium et orationem, quæ eam a Deo efflagitavit et impetravit, fusc enarrat; ac simul ejus scientiam, opes, honorem, magnificentiam et gloriam, quibus a Deo ob sapientiam, id est iustitiam virtutemque exaltatus et cumulatus est, recenset, ut sciant reges eadem sibi a Deo dandi, si sapientia, id est iustitia et virtutis, sint studiosi. Secundo, ut Judei a Ptolemæis oppressi in spem liberationis erigantur, dum legunt majores suos a Pharaone eodem loco oppressos, per tot glorioza signa et prodigia a Deo mirabiliter fuisse liberatos. Consentit huicmæ opinioni vel suspitioni, quod Jesus Sirach auctor Ecclesiastici cap. LI, vers. 7, gratias agat Deo, quod se liberavit « a verbo mendaciæ, et a rege iniquo, » utique Ptolemæo: hic enim Jesus fuit coævus auctori Sapientie; unde S. Augustinus in *Speculo Sapientiam* jungit Ecclesiastico, et utramque postponit Isaie cæterisque prophetis. Porro castitatem Sapiens impense commendat cap. iv, quia Ægyptii, et præsertim Ptolemæi, salaces erant et luxuriosi: unde sorores suas ducebant in uxores.

Memorable est quod de sancta Macrina sorore sua scribit Nyssenensis in ejus Vita, scilicet ipsam a teneris didicisse Sapientiam Salomonis et Psalmos Davidis, eosque jugiter, sive oraret, sive comederet, sive staderet, sive cubitum iret, decantavisse. Eumelia mater S. Macrinæ, « illa, inquit, quæ ex divino Spiritu dictata Scriptura, primæ illi ætate faciliora aptioraque videbantur, discenda proponebat, cum primis Sapientiam Salomonis, idque ex ea potissimum, quæ ad vitam et mores maxime conducebat: » hinc tanta in sanctitate et sapientia evasit, ut ab angelo matri ex ea gravide apparente, S. Theclæ fuerit comparata, Theclæque cognominata: quare et ipsa SS. Basilii, Nyssenii, Petri et Nucerati fratrum suorum fuit pedagoga et magistra ad omnem virtutem.

Denique liber Sapientiæ, æque ac liber secundus Machabeorum, maxime videntur scripti ab aliquo pharisæo contra sadducæos, qui negabant Numen et animæ immortalitatem, indeque futura honorum præmia, et impiorum supplicia, quæ omnia concedebant et contra sadducæos vropugnabant pharisæi, ut patet *Act. xxiii, 8*. Cum enim Eras scriba collegium scribarum, id est Sapientiæ studiosorum instituisset, ac tempore Machabeorum, imo tempore Ptolemæi Philadelphii, Judei sub jugum Alexandri et Græcorum venissent, factum est ut multi scribarum Platonis, Aristotelis aliorumque Græcorum sophistarum libros legerent, vel cum eorum posteris et assellis sermones miscerent; ac, cum viderent hos negare Numen et futuram vitam, illos vero, utrumque assereere, ipsi quoque in duas sectas divisi sint, nimirum in pharisæos qui utrumque asserebant. et in sadducæos qui utrumque negabant. Pharisæos sequebatur populus, sadducæos vero optimales, utpote liberiore et licentiori vitæ dediti; unde Joannes Hyrcanus, filius Simonis, fratris Jude Machabei, a Juda Machabeo (cujus fidei exemplum hac de re exstat II *Mach. xiv*) degenerans, in ultima sua senectute a pharisæo quodam irritatus, et ab altero sadducæo amico suo incitatus, ad sadducæos, defecit, teste Josepho, lib. XIII *Antiq.* cap. xviii, et acerrime pharisæos est persecutus. Hyrcanus secutus est filius Alexander, et ex eo nepos Aristobulus; e quibus Alexander uno die octingentos Judeos coram se cum pellice epalante, crucifigi jussit, teste Josepho, lib. XIII *Antiq.* cap. xxii. Hos secutus videtur Herodes Ascalonita, qui proxime Aristobulo, ejusque fratri Hyrcano in principatu Judææ accessit; nam et ipse plurimos pharisæos occidit, eo quod in ipsum regem jurare nolent. Mox vero contentiones hæ pharisæorum et sadducæorum sedate sunt post exsilium Archelai, filii Herodis, cum ei successit fuere præses romanus: hi enim in neutram harum sectarum partem declinarunt; ac tum utraq; pars, licet opinionum suæ inherens, conspiravit contra Christum quasi communem suum, id est judaismi et synagoge hostem. Ita Franciscus Lucas in *Matth.* cap. II, vers. 7. Sapiens ergo optimates hæ heresi sadducæorum (quibus similes sunt nostri machiavellicæ) infectos, ad sanam Numinis fidem metumque revocare satagens, eos compellat, dicens: « Diligite justitiam, qui judicatis terram, sentite de Domino in bonitate, » id est bene recte et digere; ac deinceps eis futura impiorum supplicia, et piorum præmia inculcat.

Igitur Sapiens hoc libro maxime celebrat opera Sapientiæ, in tutandis protendisque bonis et fidelibus Hebræis, ac perdidit impiis infidelibus, Deoque rebellibus, Chananæis et Egyptiis, Pharaonis assellis; qua de causa breviter hic multas Genesæos, Exodi atque Numerorum historias perstringit, ac subdite nonnulla, quæ ibi

facientur supplet, ut de origine et auctore idololatriæ, cap. xiv, vers. 15; de vespis, quæ missæ a Deo debilitaverunt Chanaanæos ante adventum filiorum Israel, cap. xii, vers. 8; de manna justis omnem saporis suavitatem varietatemque quam desiderabant, exhibente, cap. xvi, vers. 20; de larvis spectisque, ac igne sibilisque serpentum et bestiarum percipientibus Egyptios in nova plaga Egypti, quæ fuit densissimarum tenebrarum, cap. xvii, vers. 3, 6, 9; de visionibus terrificis primogenitorum, cum occiderentur transeunte angelo, cap. xviii, vers. 19. Ubi advertit auctorem hujus libri sepe salire subito ab uno Dei miraculo ad aliud, ac subito resilire et ad prius redire, idque facit maxime in ultimis libri capitibus. Idem sæpe faciunt propheta, hic enim liber scriptus est stylo prophetali, uti docent Patres.

Jam vero S. Hieronymus qui Auctor est latine versionis Vulgatæ Bibliorum, exceptis Psalmis (in his enim Ecclesia retinuit versionem Septuaginta utpote jam omnium ore tritam et decantatam), non videtur fuisse interpres hujus libri Sapientiæ et Ecclesiastici, quia eos non videtur habuisse canonicos; unde nec prologum eis præfigit, ut in cæteris libris a se traductis facere solet: imo passim aliter Sapientiæ citat, quam habet nostra Vulgatæ, ut patet ex Commentariis ejus in *Isai.*, cap. LV et in *Zach.* viii et xii, et alibi sæpius.

Denique a S. Augustino, Cypriano, Dionysio Areopagita et aliis S. Hieronymo antiquioribus citatur sententiæ et libro Sapientiæ eodem plane modo, quo nunc habentur in Vulgatæ Latine; illa ergo ante S. Hieronymum existit oportet: quare plane verisimile est in Sapientiæ et Ecclesiastico retentam fuisse ab Ecclesia præscam versionem, qua ipsa usa fuit ante S. Hieronymum. Adverte: Græca hic, æque ac in Ecclesiastico, sæpe incerta sunt et evariant; consulenda ergo est editio Græca Romana correctæ a cardinali Caraffa, et probata a Sixto V, ac multo magis Latina Vulgatæ, quæ hic purior est, quam sit Græca, ideoque Græcæ præferenda, ac habenda S. Scriptura authentica, uti sanxit Concilium Tridentinum, sess. IV.

Commentati sunt in Sapientiæ S. Bonaventura, Lyranus, Hugo, Dionysius Carthusianus, Robertus Holcot ex ordine S. Dominici, Petrus de Alliaco cardinalis, Petrus Nannius, Hieronymus Orosius, Vatablus, Isidorus Clarus, Cornelius Jansenius, nostri Joannes Lorinus et Christophorus a Castro, Gonsalvus Cervantes ex Ordine S. Augustini. Porro Bellator Presbyter, uti refert Robertus Holcot, scripsit in Sapientiæ lib. XXIV. Mattheus Cantacuzenus brevia, sed insignia in Sapientiæ edidit scholia, quæ ex Græco, in Latinum convertit noster Brunellus.

Brevior hic ero, ne opus Salomonicum nimis excresecat, præsertim quia multa, quæ hic commemorantur et iterantur, jam a me in Penitentiæ. Proverbiis et Ecclesiaste explicata sunt.

## PRIMA PARS

## LIBRI SAPIENTIÆ,

IN QUÀ CONTINETUR SAPIENTIÆ ELOGIUM ET PARENESIS, VEL ADHORTATIO AD EJUS AMOREM, STUDIUM ET ZELUM.

## CAPUT PRIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Invitat omnes, præsertim rectores, ad sapientiam, ad eam viam monstrat, scilicet justitiam, et sincerum Deum sensum cultumque: Deum enim nosse et odisse simulationem, marnasationem, detractionem, mendacium omnemque pravitatem cordis et operis, quibus justitia læditur, ac mors proceccatur, quam Deus non fecit, sed impij eam sibi ultro acceperunt.*

1. Diligite justitiam, qui judicatis terram. Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quærite illum: 2. quoniam invenitur ab his, qui non tentant illum: apparet autem eis, qui fidem habent in illum: 3. perversæ enim cogitationes separant a Deo: probata autem virtus corripit insipientes: 4. quoniam in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdolo peccatis. 5. Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, et corripitur a superveniente iniquitate. 6. Benignus est enim spiritus sapientiæ, et non liberabit maledicum a labijs suis: quoniam renum illius testis est Deus, et cordis illius scrutator est verus, et linguæ ejus auditor. 7. Quoniam spiritus Domini replevit orbem terrarum: et hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis. 8. Propter hoc qui loquitur iniqua, non potest latere, nec præterit illum corripiens judicium. 9. In cogitationibus enim impij interrogatio erit: sermonum autem illius auditio ad Deum veniet. ad correctionem iniquitatum illius. 10. Quoniam auris zeli audit omnia, et tumultus murmuratum non abscondetur. 11. Custodite ergo vos a murmuratione, quæ nihil prodest, et a detractione parcite linguæ, quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit: os autem, quod mentitur, occidit animam. 12. Nolite zelare mortem in errore vitæ vestræ, neque acquiratis perditionem in operibus manuum vestrarum. 13. Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum. 14. Creavit enim, ut essent omnia: et sanabiles fecit nationes orbis terrarum: et non est in illis medicamentum exterminii, nec inferorum regnum in terra. 15. Justitia enim perpetua est, et immortalis. 16. Impii autem manibus et verbis acceperunt illam: et asumant illam amicum, defluerunt, et sponsones posuerunt ad illam: quoniam digni sunt qui sint ex parte illius.

1. DILIGITE JUSTITIAM, QUI JUDICATIS TERRAM. SENTITE DE DOMINO IN BONITATE, ET IN SIMPLICITATE CORDIS QUÆRITE ILLUM. — Vox *diligite*, Græcè ἀγαπάτε, hebraice אהבתי *ahabu*, habet energiam et

emphasis, significat enim ingentem et vehementem amorem, et quasi ardorem justitiæ, qui iudicibus et principibus a natura quasi insus et connaturalis videatur, sed gratia et exercitio